

portans una flamma ignis ipse videtur esse.<sup>1</sup> Et ut dicitur iste est nobilior et preciosior lapis qui hodie sit in mundo. Verum tamen magnus imperator Tartarorum Cathaii illum lapidem preciosum nec vi, nec pecunia nec etiam ingenio unquam habere potuit. In hac etiam contratâ ipse rex bene justitiam tenet et observat, unde per totum suum regnum quilibet potest ire securus.<sup>2</sup> Multa etiam in hac contrata sunt quæ etiam ego scribere non curo.

### 25. *De Insula Sillan et ejus mirabilibus.*

Alia est insula Sillan,<sup>3</sup> circuiens bene plura quam duo milia miliarium in qua sunt serpentes infiniti, multaque alia animalia silvestria in magna quantitate<sup>4</sup> ut potissime elephantes. In hac contrata est unus maximus mons de quo dicunt gentes quod super illo Adam planxit filium suum centum<sup>5</sup> annis. In medio montis hujus<sup>6</sup> est quædam pulcherrima planicies in qua est unus lacus non multum magnus.<sup>7</sup> Sed tamen est bene in eo aqua magna quam dicunt gentes esse lacrimas quas Adam et Eva effuderunt, quod tamen non creditur esse verum,<sup>8</sup> cum tamen intus nascatur aqua illa. Profunditas<sup>9</sup> hujus aquæ plena est lapidibus preciosis. Quæ aqua multum est yrundinibus<sup>10</sup> et sanguisugis plena. Hos lapides non accipit ille rex, sed pro anima sua semel vel bis in anno sub aquas ipsos pauperes ire permittit, et quotquot ex lapidibus istis capere possunt omnes dimittit eis.<sup>11</sup> Et ut ipsi pauperes ire sub aquam possint accipiunt limonem et quemdam fructum quem bene pistant,<sup>12</sup> et illo bene se ungunt et tunc in aquam se mergunt. Et cum sic sint uncti yrundines<sup>13</sup> et sanguisugæ illos offendere non valent. Sic isto modo pauperes sub intrant aquam, et exeunt accipientes si possunt de lapidibus istis preciosis. Aqua quæ descendit per montem exit ab isto lacu. Et<sup>14</sup> ibi fodiuntur boni robini et boni dyamantes reperiuntur et multi, sic et multi lapides alii boni; ibi etiam reperiuntur bonæ perlæ, quo aqua ista descendit ad mare. Unde dicitur quod rex iste habet plures lapides preciosos quam aliquis alias rex qui hodie sit in mundo. In hac insulâ sunt diversa genera animalium sicut avium et multorum animalium quæ morantur ibi. Unde dicunt illi de contrata

<sup>1</sup> *Ven.* instead of quem.....esse, *has* qui recte flamma ignis esse videtur; *Hak.* dum habet illum videtur ab aliis quasi una flamma ignis et ideo nullus audet sibi appropinquare; *Mus.* nearly the same.

<sup>2</sup> *Hak.* omits this sentence about the king's justice, etc.

<sup>3</sup> *Ven.* Sillam; *Far.* Silam; *Hak.* Ceilan (the MS. in B. M. has Sylan, almost the only difference from Hakluyt's printed copy); *Mus.* has Salam.

<sup>4</sup> *Hak.* et *Mus.* et max. multit. leonum ursorum et omnium animalium rapacium.

<sup>5</sup> *Hak.* 500 annis; *Mus.* as in text.

<sup>6</sup> *Ven.* In montis cuius cacumine.

<sup>7</sup> *Far.* has omitted the non; *Hak.* et *Mus.* have parvus.

<sup>8</sup> *Hak.* et *Mus.* sed probavi hoc falsum esse quia vidi aquam in lacu scaturire; *Boll.* gentes errore delusæ.....cum tamen videatur ipsa aqua e visceribus terræ scaturire.

<sup>9</sup> *Ven.* Fundus; *Far.* as in text.

<sup>10</sup> *Yrundinibus* for *hirudinibus*.

<sup>11</sup> *Hak.* et *Mus.* ut orent pro anima sua, omitting these last three words above.

<sup>12</sup> *Ven.* limonibus optime frictis optime corpus totum linunt; *Ut.* accipiunt bavoyrem, id est quemdam fructum quem bene pistant; *Far.* acc. limones quos bene pistant.

<sup>13</sup> as above.

<sup>14</sup> *Mus.* et in transitu quando retrahit se fodiuntur, etc.